CONSTITUTIONES
Secundi
GENERALIS CAPITULI
MIECHOVIENSIS
ORDINIS CANONICORUM REGUlarium Custodum Sancti Sepulchri Domini Hierosolymitani

SUB

Illustrissimo & Reverendissimo Domino,

D. MATHIA ŁUBIENSKI,

DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPO CHEŁMENSI, ac PRÆPOSITO GENERALI MIECHOVIENSI die XVI. Mensis Junij, Anno Dñi, M. DC. XXV. celebrati.

Et à Sede Apostolica unâ cum prioribus Superioris Capituli Statutis approbatæ.
Anno Domini 1627.

REIMPRESSÆ
Typîs Clari Collegii Sandomiriensis Societatis JESU.
Annô Domini 1747.

APPROBATIO.

EGo Sebastianus Nucerinus Ecclesiæ Cathedralis Cracovien: Concionator Ordinarius, CONSTITUTIONES istas CAPITULI GENERALIS, Patrum Ordinis Custodum Sepulchri Domini Hierosolymitani, ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino, D. MATHIA LUBIENSKI EPISCOPO Chelmensi ejusdem Ordinis Præposito Generali, Anno 1625. Capitulariter conscriptas vidi & legi: ac ut pro bono & observantia Religionis sub Regula S. AUGUSTINI Doctoris Ecclesiæ Maximi militantis, prælo in lucem ederentur, lubens, tanquam Censor librorum in Diœcesi Cracov: assensum præbui. Die 1. Febr: Anno 1627.

PRÆFATIO.

Ab Illustrissimo ac Reverendissimo Domino.

D. MATHIA ŁUBIENSKI EPISCOPO CHEŁMENSI,

Et Præposito Miechoviensi, Capitulo Generali præmissa.

E*Tsi non dubito Patres Reverendi, plerosque vestrum non tantùm mirari, sed fortassè etiam permolestè ferre, quod adeò difficili tempore, in tanta præsertim rerum omnium penuria, & itineribus majori ex parte, à pestifera lue impeditis, hoc Generale Capitulum indicendum, & Fraternitates vestras, ad illud convocandas in animum induxerim; sed posteaquàm gravissimas ejus rei causas cognoscent, & mirari desinent, & hoc meum institutum æqui boniquè consulent. Nam ut silentiô prætercam, quod Constitutionibus Ordinis nostri, celebratio Capituli Generalis singulis trienniis præscribatur (quamquàm ne id quidem temerè est negligendum) calamitates certè, quæ hîs proximè præteritîs temporis*

Constit. Cap. Gen. II. De officio Præpositi Generalis.

poribus Religionem nostram gravissimè afflixerunt, non tantùm id requirere, sed etiam quodammodò necessariò efflagitare videntur. Cæsi sunt, proh dolor, & in servitutem barbaricam abducti, in Provincia Russiæ aliquot Fratres nostri, templa ibidem expilata & polluta, ædes tam sacræ quàm profanæ exustæ, possessiones deniquè Ecclesiarum nostrarum, iteratis Tartarorum incursionibus accisæ, & ad summam inopiam redactæ. Iam verò quis sine lachrymis commemorare potest? quod primò in eadem Russiæ Provincia, deinde verò in hoc ipso Monasterio crudelis mors, adeò virus suum pestiferum, in membra Religionis nostræ exeruerat, ut meritò cum Propheta Misericordias Domini, quod non omnes eâdem plagâ simus consumpti, enarrare debeamus. Siquidem hôc necdum integrô bienniô, ultra viginti Fratres, & quidem ferè omnes pestiferâ curâ extinctos, ex hac nostra Congregatione amisimus; unde etiam numerus eorum, adeò est diminutus, ut non tantùm in particularibus Residentiis, ab hoc Monasterio dependentibus, sed ne in ipsa quidem hac Principali Ecclesia ad munia Ordinis obeunda sufficientes operarios habeamus. Et quanquam non diffidamus fore, ut Divina Majestas, pro sua singulari providentia, quam circa hanc Congregatio-

nem nostram à Quingentis propè annis gerit, defectum hunc brevi suppleat, & ut pro Patribus nobis nascantur Filij, benignè provideat, prout iam ejus rei non exigua initia facta esse, magna cum voluptate nostra conspicimus; quia tamen eadem Divina Majestas, arcanô suô consiliô, vult nos esse gratiæ suæ còoperatores, ut non abs re quispiam dixerit, unâ cum Deo movendas esse manus, conveniens & propè necessarium esse censemus, ut nos, ad Divina consilia nostra etiam humana adjungamus, & invocatô Dei auxiliô, rationes resarciendorum damnorum per calamitates superiùs recensitas acceptorum, in hoc præsenti consessu ineamus. Iam verò cùm non tàm in Copioso Fratrum numero, quàm in recto ordine statûs, & perfectio cujuslibet Religionis consistat, non minori curæ nobis esse debet, ut hic quoque Regularem disciplinam non nihil vacillantem, ne dicam, magna ex parte collapsam communibûs sententiîs & studiîs restaurare, ac nostrum hunc non minùs antiquissimum, quam nobilissimum Ordinem, pristino nitori, Divinâ cooperante gratiâ, restituere, pro viribus contendamus. Nam etsi nobis ad vitam rectè & regulariter instituendam Sanctissimus Legifer & Patriarcha noster, in sua quàm professi sumus Regula, sufficientem lucem

præferat, & Constitutiones tàm Antecessorum nostrorum, quàm etiam nostræ, expeditam ejus rei viam nobis demonstrent; quia tamen res humanæ adeò sunt fluxæ & instabiles, ut nisi indies novis subsidiis fulciantur, facilè à suo statu decidant, & in pejus ruant; operæ pretium nos facturos existimamus, si in hoc Capitulo veterem Regularis disciplinæ vigorem, novis legibus excitemus, & ad diligentiorem deinceps Constitutionum nostrarum obseruantiam, uosmetipsos invicem seriò cohortemur. Et hæ quidem præcipuè sunt causæ, quibus inducti Fraternitates vestras, hic advocandas, hancque Generalem Congregationem, licet iniquiori hoc tempore, peragendam esse instituimus. Hoc solùm itaq; restat, ut & Fraternitates vestræ huic piæ & necessariæ intentioni nostræ, pro suo erga rem communem zelo, voluntates suas accomodent: & ea quæ ad hoc negotium ex antiquo Religionis nostræ instituto, rité & debitè peragendum pertinent, promptè & fideliter in medium afferant, Deumq; omnium bonorum authorem, unâ nobiscum precentur; ut nobis recta & salutaria consilia suppeditare, atq; hoc divinum opus tractantibus præsenti numine & auxilio suo adesse dignetur. DEUS illuminet vultum suum super nos & misereatur

nostri

nostri, ut cognoscamus in terra vias ejus, & semitis ejus insistamus. Etsi verò nihil hic decernetur statueturvè quod non priùs communis omnium vestrûm consensus approbaverit, quò tamen hæc nostra consilia expeditiorem progressum & exitum habeant. Nos ea, quæ in hoc Capitulo pro utilitate hujus Ordinis proponenda & tractanda esse censuimus, certîs Capitibûs comprehensa, & scriptô jam connotata, pro communi omnium vestrûm trutina, perlegi mandabimus. De quibus, ut Fraternitates vestræ intentionem suam liberè explicent, & animorum suorum sensa fideliter aperiant, benignè invitamus.

PROOEMIUM.

EA Est Rerum Humanarum continuæ vicissitudini subjectarum conditio, ut etiam illa, quæ semel rectè cæpta, & aliquandiu in suo statu conservata sunt, successu tandem temporis, nisi crebrîs, illîsq; efficacibûs remediîs instaurentur, facilè à primo decidant vigore; nocitura enim herba fæcundiùs succrescit & nullô etiam negotiô fertilissimos occupat agros; salutaris verò, culturâ indiget, nec facilè radices agit, aut se ad vicina extendit, nisi indefessus labor accesserit. Proinde cùm hoc idem quoq; in ordine nostro, tot anteactîs Capitulîs, ad Regularem disciplinam ritè servandam non mediocriter instructo fieri animadvertamus, multòsq; videamus, in exequendis Constitutionibus, partim temporûm iniquitate, partim etiam nostrâ negligentiâ irrepsisse defectus; operæ pretium nos facturos existimamus, si in hoc præsenti Capitulo, non tàm nova Statuta condere, quàm potiùs antea prudenter sancita debitæ executioni (sine qua frustrâ leges conduntur) demandari, Divinâ ope suffulti pro viribus nostris elaboremus; & hæc quæ hìc connotabuntur, per medium Monitorij, seu Directorij, ex præteritis Constitutionibus collecta, Fratribus nostris præ oculis ponamus.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

De mutua inter Fratres charitate innovanda, ac confirmanda.

QUemadmodum Sanctus Patriarcha ac Legislator noſter, à Charitate, tanquam firmiſſimo Spiritualis ædificij fundamento, ſuam Sanctam orditur Regulam; ita nos (licèt indigni) ejus veſtigiis inhærentes, hoc præſens Directorium noſtrum, non niſi à mutua inter Fratres Ordinis noſtri, quaſi de novo excitanda, & confirmanda Charitate inchoandum eſſe exiſtimamus; quod quidem eò libentiùs facimus, quò graviora ex defectu mutui inter Fratres amoris, in Ordine, tàm in Spiritualibus, quàm in temporalibus mala irrepſiſſe conſpicimus. Hinc enim provenit imprimis vetita domeſticorum defectuûm coram extraneis, ac ſæcularibus perſonis, (quod ſine gravi audientium ſcandalo, & Religionis detrimento fieri nequit) propalatio, cùm tamen Charitas operire debeat multitudinem peccatorum. Hinc debitæ & à Sanctis Patribus, nec non Oecumenicis Conciliis, omnibus tàm Regularibus, quàm Sæcularibus Clericis diligenter commendatæ hoſpita-

litatis

litatis, ſequitur contemptus; hinc deniq; lites, odia, rancores, ac diſſenſiones inter Fratres exortæ, cùm continuo appetitu vindictæ diu foventur, ac vera & fraterna reconciliatio non facilè admittitur.

Quorum quidem omnium malorum cum inter alia privata ac clandeſtina unius Fratris ad alterum literarum tranſmiſſio, non exiguum [experientia teſte) ſit Seminarium ſeriò prohibemus, ne in poſterum Fratres noſtri, tàm extra quam intra Conventum degentes, literas ſine ſcitu Superiorum ſuorum pœnes quos pro tempore manent, & non niſi communi ſigillo obſignatas, ad quaſcunque perſonas (præterquam ad Reverendiſſimum Generalem & Cuſtodem Ordinis, ac ad ſuum Provincialem) mittere, ab aliiſq; viciſſim eaſdem accipere præſumant. Cujus Statuti tranſgreſſio Carceris pæna in poſterum coerceri debebit.

Et quia gratitudo ipſa exigit, ut Fratres Ordinis noſtri, à ſua communi parente, Conventu videlicet Miechovienſi, Beneficiis dotati, (quorum non Dominos ſed potiùs temporaneos adminiſtratores ſe eſſe ſcire debent] eidem in occurentibus neceſſitatibus ſubveniant, ideo optaremus, ut ex ipſo erga Rem communem zelo, ſpontè ac liberaliter, hoc ſubſidium Charitativum quoties neceſſitas exigit, ſuppeditare pro poſſe ſuo non graventur, & quod aliqui (non ſine notabili Conſcientiæ gravamine, & ad reſtitutionem obligatione] propinquis, aut aliis extraneis perſonis, ultra debitum Eleemoſynæ modum, vel in exquiſitiorem veſtitum, quàm fert illorum vocatio, aut etiam in lautiora convivia impendunt, hoc potiùs Monaſterio, pro uſu Fratrum in eo reſidentium, mutui amoris atq; gratitudinis ergò offerant.

Porrò ut iidem Beneficiati habeant, in quo ſuam immediatam à Conventu Miechovienſi dependentiam proteſtentur. Volumus, ut ſive Capitulum Generale tempore

debito celebratum fuerit, sive non, viciniores saltim semel in anno, remotiores verò adminùs intra triennium, pro temporis oportunitate Conventum Miechoviensem visitent, Exemogelesim delictorum ibidem facturi, & rationem proventuum suorum, juxta præscriptum Constitutionum reddituri, ac nos, & Successores nostros, de statu Beneficiorum suorum Informaturi. Deniq; hæc eadem Charitas Fraterna à nobis exigit, ut quem vivis amorem præstitimus, eundem quoq; si non majorem, vita functis Fratribus nostris, exhibere studeamus, ipsorumq; animas, ad primam obitus alicujus Fratres, per Custodem ad Provinciales, & per hos, ad suos Comprovinciales denunciationem, cúm aliis piis operibus, tùm vel maximè (juxta præscriptum Constitutionis decimæ Capituli Tertij Generalis) trino Missæ sacrificio per quemlibet Presbyterum expediendo, absq; ullâ procrastinatione, juvare non gravemur, memores illius Evangelij quod quali mensura mensi fuerimus, tali vicissim remetietur nobis.

Constit: Cap: Gen: II. De offic: Præpositorum & Parochorum.

C A P U T
S E C U N D U M.

De proprietatis vitio extirpando & Paupertate Sancta resuscitanda.

CUm proprietas inter alia gravia quæ cuilibet Religioni, in qua pedem fixerit, adferre solet, incommoda, certissimum sit fraternæ charitatis exci-

excidium; quomodo enim illic societatis, ac inviolatæ rerum omnium communionis jura servari possunt, ubi MEUM, & TUUM, [quæ verba omnium discordiarum sunt seminarium) dominantur; ideo nos quoq; dum pulcherrimum mutuæ charitatis in Ordine nostro ædificium construere cupimus, de Paupertate Sancta, quæ totius Regularis disciplinæ firmissima basis est & fundamentum, magna ex parte iam collapsa, iterùm resuscitanda, & restauranda seriò cogitare, & illa omnia quæ de ea in Constitutionibus proximè præteriti Capituli Generalis laudabiliter sanè, ac sufficienter ex communi Theologorum ac Canonistarum sensu, præscripta sunt, debitæ executioni mandare, eoq; ipso communi saluti nostræ, quæ in proprietatis vitio procul dubiò periclitatur, consulere debemus. Quod ut Fratribus nostris, eò ordinatiùs & efficaciùs explicemus, placuit hoc Caput in aliquot Puncta distribuere, quibus nonnulla Paupertatis in Ordine nostro secundæ impedimenta ab aliquibus illorum perperam allegari solita, & statim contra eadem remedia breviter proponuntur.

PUNCTUM PRIMUM.

EA est, perniciosi huius vitij Proprietatis scilicet, natura, ut ubi semel firmas egerit radices, non nisi summo cum labore, ac difficultate, eliminarì possit. Unde nos quoq; licet nihil magis optaremus, quàm ut aurea illa, ac juxta Regulam quàm professi sumus, debita rerum omnium, non tantùm in victu, sed etiam in vestitu; aliisque necessariis, Communitas prout in aliis ordinatis, sic etiam in hâc

hâc noſtrâ Religione vigeat, neque quiſquam Fratrum noſtrorum uſurpet ſibi aliquid proprium, ſed ſint ipſis omnia communia: quia tamen hoc malum adeò longo tempore in Ordine noſtro invaluit, ut nonnulli ex Fratribus noſtris diuturna conſvetudine, quæ potiùs corruptela dici debet, ſe excuſatos eſſe à reatu hujus abominandi vitij falſo opinentur; idcirco hoc illis diligenter ad præſens inculcandum eſſe duximus, ut hunc errorem feriò ex animo deponant, neque amplius ejuſmodi abuſu tutos ſe eſſe in conſcientia exiſtiment. Siquidem non quàm longo tempore, ſed quàm rectè & licitè aliquid alicubi ſervetur, attendi debet.

PUNCTUM SECUNDUM.

PRæter diuturnam, ac longo temqore inveteratam Proprietatis conſvetudinem, ſeu potiùs abuſum, prætexitur & alia ſervandæ in Ordine noſtro Paupertatis excuſatio, quòd videlicet non nulli è medio Fratrum noſtrorum, neſcimus quo innixi fundamento, exiſtimant ſe non adeò ſtrictè quemadmodùm aliàs Religioſorum Familias, ad votum Paupertatis ſervandum ex vi inſtituti ſui obligari; ſed revera graviſſimè falluntur, cùm Religioſus, quâ Religioſus, cujuſcunque Ordinis inſtitutivè ſit, à voto Paupertatis ſervando nequaquam, liber eſſe poſſit communi Theologorum ſenſu, hoc ipſum approbante: Fatemur quidem, quod omnimodam, ac perfectam illam rerum ad uſum pertinentium amotionem, ſtatus noſter [cui ex vi ipſius inſtituti cura animarum adjuncta eſt) ægrè admodum patiatur, nihilominus

minus

minus tamen in ipſomet neceſſariorum uſu debitam à voluntate, ac liberâ Superiorum diſpoſitione (juxta modum in Conſtitutionibus præſcriptum) dependentiam requirimus, ita, ut Fratri noſtro (nullum præſertim habenti Beneficium) ſine expreſſo, vel ſaltim (in rebus præſertim levioribus) implicito Superiorum conſenſu, neque quidquam ab aliquo, etiam doni, aut Eleemoſynæ nomine accipere, neque viciſſim cuipiam aliquid dare liceat. Hinc illæ mutuæ donationes, permutationes, emptiones, venditiones, & quocunque alio prætextu pecuniarum, aliarumque neceſſariarum rerum acquiſitiones, ac quivis cæteri contractus, qui privatim & clandeſtinè, non ſine gravi dolore noſtro & Sanctæ Paupertatis iacturâ inter nonnullos Fratres noſtros, exercentur, tanquam illicitè, & Sacris Canonibus, Regulæ, & ipſimet Paupertatis naturæ contrarij præſenti ſtatuto damnantur, & ne inpoſterùm fiant ſeriò prohibetur. Quod ſi verò aliquis, (quod abſit) ejuſmodi proprietarius repertus fuerit, præter alias graviſſimas pænas, ea de re in Conſtitutionibus Sancitas, quidquid privatìm, & ſine ſcitu Superiorum acquiſierit, hoc totum per Superiorem ab eo à prima notitiâ amoveatur, & in uſum communem redigatur, ac inſuper ejuſmodi votifragus, unâ cum illa recelatâ unâ vice, tempore prandij ad fornacem hypocauſti communis ieiunus [juxta veterem hujus Ordinis noſtri diſciplinam] ſedere teneatur; Si verò extra Conventum in particúlari aliquo loco manſerit, per Provincialem, vel etiam per ſuum Superiorem, ſimili pæna irremiſſibiliter puniatur.

Conſtit Cap: Gen: II. De Officio Vicariorum.

Lib. 3.

Conſtit: Cap: Gen. IV. Cap. I. & 3.

PUNCTUM TERTIUM.

NOn quidem nos latet, Sanctos Canones à Superioribus Religionum requirere, ne dum ſuos ſubditos ad ſervandam Paupertatem inducere ſatagunt, iſti viciſſim illorum accuſent negligentiam in providendis neceſſariis, verùm quia præter bona ad menſam Fratrum ſpectantia, (quæ rectè adminiſtrata non tantùm pro victu, ſed etiam amictu facilè ſufficere poſſent] certi etiam reditus pro veſtiaria antiquitus in Conſtitutionibus præteritis ſunt aſſignati, & paulo antè per nos etiam notabiliter aucti, & ſucceſſu temporis per Dei gratiam augendi; idcircò Fratres noſtri non tàm de ſufficienti neceſſariorum proviſione conqueri, quàm potiùs de Ordinata redituum per ſuos officiales adminiſtratione ſedulo cogitare, illudque providere debent, ut ejuſmodi veſtiarios, & Diſpenſatorem eligant, qui in officio conſtituti, ita rem Oeconomicam procurent, ut non tantum promptuarium, ſed etiam veſtiariam, omnibus neceſſariis refertam habeant, & cum ſcitu Patris Cuſtodis quod cuique neceſſarium ſit, dare non differant. Et quoniam interim certus atque ſufficiens pro aſſervandis rebus neceſſariis locus non habetur, dabimus operam, ut quam primùm unâ cum hoſpitio, (quod etiam in Conventu adhuc deſideratur) rectè ordinata ac diſpoſita habeatur.

Conſtit. VI. Cap. Gen. III.

PUNCTUM QUARTUM.

HUc accedit & illud; quod plerique Fratres noſtri præſertim privati adeò nimis diligentes

ac ſo-

ac ſoliciti ſint in comparandis rebus neceſſariis, ut dum privato ſtudio atque induſtriâ neceſſaria procurare ſatagunt, en illi ſuperflua, quæ neque ipſimet tutâ conſcientiâ penes ſe retinere, neque etiam Superiores hâc in parte cum iiſdem diſpenſare poſſunt, colligunt, atque ita ſub prætextu proviſionis neceſſariorum, in caſum præſertim infirmitatis, (cui etiam tàm ab Anteceſſoribus noſtris quàm à nobis ſufficienter eſt proviſum) non modò ſtatui Religioſo minùs competentes pecuniæ ſummas corradunt, verùm etiam de iis tanquam proprio (ut ipſimet dicunt) labore & induſtriâ comparatis, juxta ſuum arbitrium diſponere præſumunt. Cum tamen Religioſus, quidquid acquirit non ſibi, ſed Religioni acquirat, ac proindè quidquid habet hoc totum liberæ Superiorum diſpoſitioni reſignare teneatur. Quare cùm hoc peſtiferum virus in Ordine noſtro, indies magís ſerpat; Statuimus, ut Vicarij aliique Fratres privati, quibus procuratio alicujus Beneficij demandata non eſt, in colligenda & retinenda pecunia, ejuſmodi moderationem adhibeant, ut inpoſterùm quidquid ex Eleemoſynis, aliiſque obventionibus collegerint, id ſtatim totum, juxta præſcriptum Conſtitutionum Superiori ſuo præſentare, & vel eidem ad ſervandum tradere, vel cum licentia ipſius penes ſe aſſervare, eamque pecuniam non niſi cum ſcitu, & permiſſione ejuſdem Superioris partim in uſus proprios convertere, partim in caſum neceſſitatis aſſervare, ſub amiſſione ejuſdem pecuniæ, aliiſque pœnis contra proprietarios ſancitis, ſint obligati. Ubi verò in Conventum Miechovienſem redierint, non priùs res extra Monaſterium,

Conſtit. De officio Vicariorum.

pro

pro usu comparatas, in cellam inferre audeant, quàm indicem earundem fideliter conscriptum, Patri Custodi reddiderint; sufficientemque omnium perceptorum, ac expensorum rationem fecerint.

PUNCTUM QUINTUM.

NEque hic quoque silentio prætermittendus est quorundam Fratrum nostrorum abusus, qui contra Constitutiones Ordinis gravissimè id prohibentes, res post obitum Fratrum derelictas, præsertim verò libros (qui tamen in quibusdam nobilioribus præsertim locis, ubi aliquot Fratres simul inhabitant, cum scitu, & consensu Reverendissimi Domini Generalis, pro usu ipsorum ibidem pro tempore manentium retineri poterunt) vestes, pecunias, aliaque ex antiqua ordinatione ad Conventum Miechoviensem spectantia, motu proprio, & nonnunquam clandestinè distrahunt, illaque privatim sibi usurpare non vereantur. Quod quidem cum sine gravi propriæ conscientiæ, & communitatis detrimento, ac ad restituendum obligatione fieri nequaquam possit, Constitutiones præteritas de re prudenter sancitas, in toto reassumimus, & ut debitæ mandentur executioni, authoritate nostra ordinaria seriò præcipimus, intransgressores graviter animadversuri.

Constit: Cap: Gen: I. Cap: V. & Constit: Cap: Gen: II. lib. 3: Cap. 2.

Constit: Cap: Gen: II. lib. 3. Cap. 2.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

De rectâ Fratrum juniorum institutione & Studiorum tractatione.

QUantùm momenti, in quolibet Religioso Ordine, in rectâ Tyronum institutione, (quæ est præcipuum totius Regularis disciplinæ fundamentum) positum sit, vel ipsamet experientia nos docet. Quid enim mirum, si Professi, majore veluti obtentâ libertate delinquunt, quando circa Novitiorum institutionem, non ea quæ par est, diligentia habetur, dùm & minùs idonei ad Novitiorum circa omnem plane delectum, (nonnunquam ad importunam privatorum instantiam) admittuntur, & admissi, quando vel maximè in assiduo virtutum ac literarum exercitio occupari deberent, otio delitescere permittuntur? Quocirca cùm nihil magis optemus quàm ut hæc Congregatio nostra, majores indies in pietate ac doctrinâ aliisque virtutibus Religiosam vitam concernentibus, progressus faciat, id autem, ut dictum est, à rectâ Tyronum institutione, vel maximè dependeat. Statuimus, ut hoc præsertim tempore quo numerus Fratrum adeo diminutus, maximè per ordinatam Novitiorum susceptionem est supplendus, non nisi ejusmodi Magister Novitiorum capitulariter eligatur, qui maturo judicio, & prudentia præditus, Instituti Regularis, &

ipse sit amans, & ejusdem in animis aliorum inserendi fervens zelator, & qui non nudâ tantum pietate & Religione, sed etiam doctrinâ & prudentiâ sufficienter instructus, existat. Quare Illius inprimis partes erunt, seriam in admittendis ad Novitiatum disquisitionem facere, ac omnes defectus, in Constitutionibus circa susceptionem Novitiorum expressos, diligenter indagare, neque quidquam coram Reverendissimo Generali & Capitulo celare.

Lib. 3. Constit. Cap. Gen: II. Cap. 2. Porrò quemadmodum ipsa Novitiorum susceptio Capitularis, & publica esse solet, ita etiam Habitus Ordinis nostri assumptio, non privata (prout hactenus abusu quodam fieri consveverat] sed publica juxta præscriptum Constitutionum esse debebit. Novitius verò non priùs Habitum induat, quàm Generalem peccatorum Confessionem præmiserit; Expedit autem [idque propter aliquod revelationis sigilli periculum] ut non ipsemet Novitiorum Magister, sed potiùs aliquis alius maturus atque idoneus Presbyter, pro excipiendis Fratrum juniorum Confessionibus, Capitulariter deputetur.

Neque verò sufficiat, seria in admittendis Novitis disquisitio, nisi eò magis accurata ac diligens, post admissionem probatio, ac institutio accesserit. Proindè idem Novitiorum Magister, quò faciliùs Fratres curæ suæ commissos ad pietatis, ac Religionis studium incitare ac inflammare possit, dux ipse illis, ad omnem virtutem esse, iisdemque non tantum verbo, sed etiam exemplo prælucere debet, ut in omni actione, vitâque ipsius, habeant juniores, quod tuto & laudabiliter imitari possint. Ante omnia verò, quod singulari prudentia & dexteritate indiget,

get,

get, curabit, ut uniuscujusque naturam, ingenium; mores, & propensiones, optimè sibi perspecta, ac cognita habeat, quò faciliùs diversarum naturarum, atque complexionum morbis, diversa quoque remedia adhibere possit. Poterit autem facilè mores, & naturam cujuslibet cognoscere, partim ex spontanea per ipsum Novitium proprij defectus (quod omnes tàm seniores, quàm juniores Fratres, coram Superiore inposterum facere non negligent) coram se detectione, partim ex certa sociorum ejusdem convictus delatione; partim denique ex longa observatione & experientia, in omnem partem suæ curæ commissos, nunc laudibus, nunc objurgationibus, nunc pænitentiis, nunc præmiis versando. Præcipuè verò Orationis, tàm vocalis, quàm mentalis crebrum exercitium, quotidianam Missæ auditionem, frequentem Conscientiæ exemolegesim, ac Sacræ mensæ frequentationem, (quod præter omnia festa solennia, qualibet Dominica prima mensis, ex præscripto Concilij Tridentini facere tenentur) ipsis commendabit.

Adhæc tum Magister Novitiorum sit ipsorum Director, dabit omnem operam, ut Novitij, antiquos, ac sæculares exuant mores, modestos verò, maturos, ac Religiosos induant; Specialiter verò, oculi illorum sunt domandi, ac tanquam iniecto freno cohibendi, ne in omnem partem excurrant, atq; adeo nocitura hauriant; præsertim verò, quando in locis publicis, inter homines versantur, Incessus illorum sit constans, moderatus, qui nec tarditate ignaviam, nec citatiore progressu levitatem mentis testetur, neque in variam partem libratus fastum denotet. Nihil denique quod sæculum, quod aulæ mores, quod ia-

ctantiam, & faſtum ſapiat, quodq; aliquid minùs decens, atque honeſtum ſit, in moribus, atque actionibus ipſorum, deprehendatur. Aſſveſcant præterea piis colloquiis, omnemque ſermocinationem divinis condiant rebus, & nonniſi Latino ad invicem utantur idiomate; Caveant riſum profuſiorem, verba procacia, dicteria, ſarcaſmos, fabularum, variarumque rerum narrationes; Inſuper quiſque illorum, in ſuâ cellâ (exceptis recreationum aliarumque communium occupationum horis) ſe contineat, nec unus alterius, non tantùm Profeſſi, ſed ne Novitij quidem, cellam, ſine ſcitu Magiſtri, viſitare præſumat. Quod ſi Magiſter aliquem ex Novitiis minus aptum ad Regularem obſervantiam adverterit, & in eo aliquos graviores naturæ, vel morum, vel etiam doctrinæ defectus, in probatione deprehenderit, admoneat maturè Patrem Cuſtodem, ut talis novitius, qui non magnam ſpem de ſe Religioni pollicetur, è Conventu dimittatur. Periculoſum enim & Religioni noxium eſſe ſolet, aliquem minus habilem ad Ordinem ſuſcipere, & multò periculoſius ejuſmodi ſuſceptum diutius retinere, cum res hæc in univerſi coporis vergat interitum, pluſque unius ſæpè improbitas nocumenti, quàm plurimorum probitas emolumenti Religioni adferre conſveverit.

Conſtit. De officio Magiſtri Novitiorum.

Et quia effrenata quorundam juniorum inſolentia eò proceſſit, ut etiam graviſſimis pænis in Conſtitutionibus aſſignatis, à frequenti, illaque furtivâ è Monaſterio egreſſione facilè coerceri, ac retrahi non poſſint, proindè ut huic tanto malo, omni meliori modo obviam iri poſſit; Statuimus, ut præter pænas in Conſtitutionibus Ordinis determina-

tas,

tas, quicunque inposterùm ejusmodi crimen commisserit, Novitius quidem statim eiiciatur, Professus verò à susceptione Ordinum, per unum integrum, si verò id secundo fecerit, per alterum annum suspendatur, idque in Actis Capitularibus (duæ deinceps accuratius per Patrem Custodem, vel ab eo designandum, describi debent) memoriæ causa notetur. Quod si ne ista quidem curaverit, in subterraneum carcerem, per aliquot menses ibidem detinendus, soloque pane & aquâ sustentandus detrudatur, etsi adhuc contumax esse perrexerit, consilio Capitulariter cum Consiliariis communicato, abrasis Ordinis insignibus è Conventu, (ne contagione pestifera alios inficiat] eiiciatur. Iam verò cum inter cætera Religionis adiumenta, Studiorum exercitium merito numerari possit, siquidem, ut Studia comitantur virtutes, ita è converso intermissio eorum, otium (quod certissima vitiorum omnium est origo] parit; Idcirco, ut & Constitutionibus nostris ea de re sancitis, satisfieri, & ipsimet utilitati, ac necessitati Ordinis, consuli possit. Volumus; ut præter Perorationes à Fratribus junioribus diebus festis ad Mensam haberi solitas, Lectiones hactenus, ob immaturam doctorum nonnullarum personarum mortem, intermissæ, absque ullâ procrastinatione, iterum reassumantur, etsi in præsentia, ob inopiam graduatorum Fratrum, duæ commodè haberi non poterunt, adminus una, sive in sacris, sive in profanis, (exercitio pomeridiano, cum repetitione lectionis matutinæ subsequente] instituatur. Ne vero in proferendo sermone Latino Fratres nostri inposterum turpiter errent, singulis feriis quintis, præceptis Accen-

Constit: De offic: Magistr: Novit.

tus, tàm Regularis quàm Grammaticalis informentur Insuper cum hactenus aliquot annorum spatio peste cùm alibi, tùm potissimum Cracoviæ grassante, nullus fermè Fratrum, contra antiquam, & laudabilem consvetudinem, necnon contra ipsam piæ Fundationis exigentiam instudiis Academiæ Cracoviensis manserit. Ordinamus, ut [nisi aliquod legitimum obstiterit impedimentum] pro commutatione hyemali proximè ventura, bini Fratres aptiores, Cracoviam mittantur, nec facilè postmodum à cæptis studiis, donec justum in eisdem fecerint progressum abstrahantur, sumptum partim ex ordinatione Reverendissimi olim Thòmæ de Iikus Antecessoris nostri, partim ex proventibus Mensæ communis habituri. Ut autem quod è multo tempore, cum à Prædecessoribus nostris, tum & à nobis in votis habetur, ipsaque Ordinis necessitas id exigit, tandem aliquando auspice Deo, de Fratribus Romam mittendis Constitutio saltim aliqua ex parte executioni demandetur; Nolumus rem adeò honestam, ac summè necessariam ulteriùs differre, sed iam ex Capitulo præsenti, unum è medio (cum pro duobus hoc difficili tempore sufficientes sumptus nequaquam haberi possint) videlicet R. D. Alexandrum Pinczovium Artium & Philosophiæ Magistrum, Romam studiorum, nonnullorumque Ordinis nostri negotiorum, causa destinamus, ipsique pro nostro erga bonum Ordinis quali quali zelo, præter Ducentos decem florenos, ex censu reemptionali in villa Buk recenter empto, (idq; post venditionem Capitulariter factam prædii in Raczlawice, obligationem pensionis, pro Studiis Romanis habentis, per Præpositum

Wroci-

Wrocimoviensem, ob desolationem ipsius, Conventui resignati] quotannis pendi solitos, ex reditibus nostris florenos aureos sexaginta offerimus Confisi reliquorum quoque Fratrum nostrorum Beneficiorum præsertim, debitam liberalitatem, in re tanti momenti minimè defuturam, quod ut eò promptiùs faciant, paternè eos monemus, ac invitamus.

CAPUT QUARTUM.

De Ecclesiasticis Officiis ritè peragendis & cultu divino promovendo.

ET si ea, quæ ad debitam Sacramentorum administrationem, aliaq; Ecclesiastica munia, ritè obeunda pertinent, præclarè satis, ac sufficienter in antiquioribus Ordinis Constitutionibus, integris duobus libris, Capituli Generalis secundi præscripta, ac ordinata habeantur, nonnullaq; præsenti tempori, & praxi servientia, à Nobis proximè præterito Generali Capitulo addita sint, ita ut nihil planè, præter ipsammet sancitorum executionem desiderari videatur; tamen cùm hactenus vel, ipsamet experientia didicerimus, in hac Ecclesia nostra Conventuali, quædam non secundum præscriptum earundem Constitutionum fieri, sciamusque pro temporum mutatione, res quoque & personarum actiones nonnunquam mutari; Proindè quo faciliùs Capitularia Statuta debitæ mandentur executioni, in non-nullis

illorum

illorum punctis moderationem, in aliis verò additionem aliquam faciendam esse, censuimus.

In distributione horarum quo ad Diurna Officia.

Atque inprimis, quantum ad tempus Horarum Canonicarum attinet. Postulationis & ipsiusmet majoris Fratrum certò tempori in surgendo, pro Matutino hactenus assvetorum, commoditatis rationem habentes, permittimus; ut tàm æstivo quàm hyemali tempore horâ primâ post mediam noctem (exceptis solennioribus diebus Festis, quibus juxtâ præscriptum præteriti Capituli, tertia post mediam noctem hora, januis Ecclesiæ, pro aditu populi apertis, decantari debet) Matutinum inchoetur, quo finito, confestim Pater Custos, vel in absentia Vicecustos, singulis diebus materiam meditationis breviter proponat; Cui exercitio, juniores quidem Fratres, (tempore præsertim æstivo) in Oratorio, unâ cum Magistro Novitiorum, Presbyteri verò, sive ibidem simul, sive in cellis; Hyemali autem tempore, omnes in communi hypocausto, adminùs per unum horæ quadrantem vacabunt: Nihilominus tamen media hora ante Primam dabitur signum pulsus, tàm pro Oratione vocali, quàm pro debito corporis ornatu.

Et quia Responsaria olim à Fratribus, singulis diebus in matutino cantari solita, jam ab aliquot annis, Fratrum numero diminuto, non cantari, sed legi consveverunt; proindè ne illa consvetudo antiqua, in decantandis Responsoriis, omninò tollatur, atq; hac in parte cultus Divinus notabiliter diminuatur. Statuimus, ut saltim quotiescunque in Choro inferiori, juxta Constitutiones Ordinis, Matutinum expediri contigerit, omnium Nocturnorum Responsoria integrè singulis verò diebus festis Duplicibus,

& Domi-

& Dominicis, adminùs Tertii Nocturni, (prout etiam hactenus fieri conſvevit) decantentur, reliquîs verò diebûs, altâ & diſtinctâ voce proferantur, Cantore primum, Vicecantore ſecundum Chorum regente, qui iidem erunt juxta modernam conſvetudinem Pſalmorum præcentores. Nonæ vero tempus, quod hactenus fuit, in continua quadam variatione, ut certum ac determinatum haberi poſſit, Ordinamus; ut præter illa tempora, quibus ante Summum Sacrum juxta præſcriptum Rubri Romani expediri debet, reliquîs diebûs, tam Feſtîs quàm ferialibûs ſtatim poſt Pſalmum Miſerere, à prandiis Proceſſionaliter eundo ad Chorum recitari ſolitum, juxta antiquam conſvetudinem abſolvatur.

Porro finitâ poſt prandium horâ recreationis, non erit iam liberum Fratribus per Dormitorium, aliaque loca Conventûs, abſq; urgenti neceſſitate deambulare, ſed quiſquè ad ſignum campanæ rectà ſe in cellam conferet, ibidemquè ad Veſperas uſquè lectioni, aliiſquè religioſis exercitiis intentus ſeſe continebit. Quod ſi aliquis Fratrum hanc noſtram ordinationem tranſgredi auſus fuerit, primò quidem ſeveram admonitionem poſtmodum unius ferculi, ac deinceps integræ cœnæ privationem ſubibit.

Ne autem piæ Benefactorum intentiones, in ſuis Fundationibus defraudentur, Sacriſtiano ſeniori pro tempore exiſtenti, ſeriò præcipimus, ut citra omnem moram, omnes & ſingulas, tam antiquas, quàm recentiores obligationes, cum quoad Miſſarum, tum quoad Anniverſariorum celebrationem (juxta moderationem in quibuſdam per nos, de conſilio Illuſtriſſimi Domini Lociordinarii faciendam) tabulas ordinatè per Patrem Cuſtodem deſcriptas

habeat, quarum una in Sacristia, altera verò in Communi Oratorio, in aliquo loco conspicuo perpetuè asservetur. Quibus etiam, Anniversaria dies dispositionis nostræ, solenni Officio Defunctorum quotannîs obeunda, ac præterea singulîs feriîs secundîs, una Missa lecta pro Defunctis, ad Altare Privilegiatum, pro anima nostra absolvenda, à Fratribus nostris, in hoc præsenti Capitulo, nonnullorum Beneficiorum Conventui à Nobis impensorum, gratitudinis causâ ultrò concessa, & in perpetuum in eadem Ecclesia observanda, annumerari debet.

Idem nimiam Eleemosynarum pro celebrandis Missis aggregationem vitabit, pro acceptis verò intentioni Benefactorum, in toto satisfieri curabit. Præcavebit insuper diligenter, ut Eleemosynæ, non tantùm respectu Missarum, sed etiam ratione administrationis Sacramentorum, à nonnullis Presbyteris perperam usurpari solitæ, nonnisi in communem carbonam, in aliquo tuto Sacristiæ loco asservandam, integrè & fideliter deponantur. Quod si aliquem contrarium facientem adverterit, eum tanquam Proprietarium Patri Custodi deferat, in quem ille, juxta pœnam in Constitutionibus præscriptam, animadvertere debebit.

Constit: De Officio omnium Fratrum in Conventu manentium.

Pater Custos verò, ita Ordinem Missarum diebus Festis moderabitur, ut Sacra ab ortu solis ad meridiem propè, sine intermissione continuari possint facilius, tempore quocunque ad Ecclesiam venientes, Missam integram audire possint. Ac præterea singulîs diebûs, tempore præsertim æstivô, unum Missæ sacrificium, non multùm ab Ortu solis, pro commoditate tam hospitum quàm etiam laborantium fieri curabit.

Volu-

Volumus præterea, ut quotiescunque Confessio Generalis à Fratribus Ordinis nostri, sive privatim, sive publicè recitatur, semper post Apostolorum nominationem Sancti Patris nostri Divi Augustini, ad instar aliarum Religionum, mentio fiat.

Quantùm autem ad administrationem Sacramentorum attinet; præter ea; quæ in Constitutionibus Ordinis ea de re sancita habentur, nihil ampliùs desiderari videtur, quàm ut Presbyteri Sacramenta administrantes, ita se gerant, prout in iisdem Constitutionibus præscriptum habetur; hôc solô additô, ut tam Provincialibus, quàm Diæcesanis Illustrissimorum Lociordinariorum Statutis, præsertim in punctis curam animarum, & administrationem Sacramentorum concernentibus, sese accomodent. Lib I. Cap: Gen: II.

Cùm verò inter cætera, Pænitentiæ Sacramentum, peculiarem quandã à Sacerdotibus exigat scientiam, atque prudentiam, multaque eum nosse, qui hoc Sacramentum ritè administrare cupit, oporteat; Statuimus, ut præter Ordinarium Confessariorum examen, in Constitutionibus recentioribus præscriptum, Presbyteri pro excipiendis Confessionibus deputati, singulîs mensibûs, commodiori aliquo tempore, per Patrem Custodem assignando: in Quadragesima verò singulis Feriîs quintîs, tempore matutinô, in Casibus conscientiæ conferentias habeant, citra tamen aliquam sigilli Confessionis revelationem. Constit. De Officio omnium Fratrum in Conventu manentium

Quoniam autem Festi Dedicationis, (quod in Ordine nostro pro die Divisionis Apostolorum celebrari solet) non tantùm externi, sed etiam nonnulli ex Fratribus nostris, rationem non omninò perspectam habent, atque id in Patronorum Officio non adeò clarè expressum est, talem hìc ejus rei declara-

tiónem faciendam esse censuimus; Quôd in omnibus quidem Ecclesiis Ordinis nostri, Commemoratio Dedicationis Ecclesiæ Hierosolymitanæ, eó die, quô primitus per Apostolos fuit dedicatâ, & postea per Godhefridum Regem, post receptam Hierosolymam repurgata, (ad instar Dedicationis Basilicæ, SS. Petri Pauli in Vaticano, & Salvatoris in Laterano) fieri debet; sed tamen eâ distinctione adhibitâ, ut in iis Ecclesiis, ubi etiam in eundem diem incidit Dedicatio propriarum Ecclesiarum, utpotè híc Miechoviæ, Stradomiæ ad S. Hedvigim, Prevorscij Lezaiscij, & in nonnullis aliis locis, hoc Festum solenniter & cum octava: in aliis autem, quæ pro alio tempore peculiariter assignatas Dedicationes habent, sub Officio duplici, sine solennitate tamen, ad populum, & sine octava celebrari debet.

Cùm autem Approbatio Officiorum Patronorum Ordinis nostri (quam nuper per Internuntium nostrum à Sede Apostolica obtinere procurabamus) in longius tempus dilata, usus verò tantùm eorum quæ antiquitùs, & ab immemorabili tempore in praxi habebantur. vivæ vocis oraculô eidem internuntio nostro factô permissus sit, ideò quousquè Pontificia omnium & singulorum Officiorum (quæ non ita pridem in ordinem redacta, ac Typis mandata sunt) Confirmatio obtenta non fuerit, omnes Ordinis nostri Fratres, ea tantúm de Patronis Officia recitent, quæ ab immemorabili tempore ab Ordine nostro in usu habita, & interruptè observata esse repe-riuntur.

CAPUT

CAPUT QUINTUM.

De Regularis disciplinæ observantia, & defectibus in executione Constitutionum Ordinis, supplendis.

QUod ad hanc materiam, inter alias facilè primam attinet, rem minùs utilem nos facturos existimamus si ad ea quæ de hac re, cùm in ipsamet Sancti Patris nostri Regula; tùm in Ordinis nostri Constitutionibus sufficienter sanè præscripta habentur, aliqua in hoc Directorio nostro veluti de novo addere velimus. Sufficiet interim, nonnullos, illosque minùs ferendos in exequendis Constitutionibus hactenus notatos defectus, obiter hîc attingere, & aliqua puncta veluti quædam specula, in quibus Fratres nostri, eosdem suos in Regulari observantia defectus videre, illosque quàmprimum supplere, & corrigere studeant, proponere,.

PUNCTUM PRIMUM.

De defectibus in exequentis Constitutionibus præsertim proximè præteriti Capituli Generalis ex parte Officialium & Fratrum in Conventu degentium.

DUm pro debito muneris nostri officio (charitate fraternâ id exigente) defectus eorum

qui curæ nostræ commissi sunt, non confusionis, sed potiùs correctionis causâ proponere volumus, a nobis ipsis (si quidem & ipsimet variis circumdati sumus infirmitatibus) incipere debemus. Et quamvis iam ab aliquot annis ex speciali Sedis Apostolicæ Gratia, ad altiora Ecclesiæ & Reipublicæ munia vocati, & à Regulari observantia (votis essentialibûs duntaxat exceptîs] exempti simus; Officij tamen & ipsiusmet Professionis nostræ memores, in quantum infirmitas humana, & varia status nostri negotia patiuntur, in omnibus ad nos pertinentibus, Deo auxiliante, satisfacere pro viribus nostris conamur.

Quia vero inter alia, officium Præpositi Generalis concernentia puncta, in proximè præterito Capitulo descripta, illud quoque habetur, ut bona ad mensam illius pertinentia, singulîs trienniîs semel per duos Consiliarios ad id deputatos visiteutur, neque id hucusquè propter certa impedimenta, debitæ executioni demandatum sit; ideo, ne ulterius hæc Ordinatio nostra suo careat effectu, iam ex nunc duos viciniores Consiliarios, in Capitulo particulari deputandos, pro eo negotio quantociùs expediendo, assignamus.

Iam vero quoad Custodis officium. Cum is (juxta Constitutiones] & regularis disciplinæ, & cultûs divini in Ordine nostro director & moderator esse debeat, multùm profecto momenti in eo positum est. ut pro hoc tam arduo officio, non nisi ejusmodi Frater eligatur, qui in eodem cultu divino promovendo, & regulari disciplina retinenda, sit fervens & zelosus, & qui non tam spe privati alicujus com-

Lib: 2. Cap: Gen. 2. Const. 9.

modi

modi, vel pingvioris Beneficij, sed ob Dei gloriam, & proximorum salutis amorem duntaxat, officiô suſceptô, omnibus omnia fieri velit, quiquè doctrinâ, pietate, cæterisque virtutibus instructus, vivum se omnibus præbeat bonorum operum exemplum. Quod si peculari gratiâ Dei & Beneficiô, talis Custos Conventui obtigerit, diutiùs in eodem officio donec uberiores laborum suorum protulerit fructus, detineatur, neque facilè extra Conventum ablegetur.

Cum autem, quò commodiùs, tam in Ecclesia quàm in Conventu, debitô modô atque ordine peragantur, præsentia continua Custodis requiratur; volumus, ut Custos quàm rarissimè se à Conventu absentet: egressus verò [necessitate legitimâ id exigente] quantocyùs, præsertim verò in absentia Reveren: D. Generalis, domum redeat. Præterea attendat; ut Anniversaria Defunctorum, similiter & aliæ Benefactorum tam antiquæ, quám recentiores Fundationes, suô tempore ad amussim expediantur, & in divinis Officiis peragendis distributio Horarum à nobis antea præscripta, diligentiùs observetur.

Majorem quoq; quàm hactenus fuit, Custodis in menstrua Cellarum visitatione requirimus diligentiam, quæ eò potissimum fine fieri debet, ut superflua in visitatione deprehensa, circa ullum respectum, amoveantut, & indigentibus necessaria provideantur, neque aliqua in cellis privatis arma asservari permittantur: Quamobrem volumus, ut in posterum [juxta antiquas Constitutiones) singularum Cellarum claves, præter eas quas Fratres habent, semper penes se in Conclavi bene serrato asservet, Constit. De officio Custodis.

ac præte-

ac præterea clauſuræ Conventûs diligentiùs deinceps attendat, Inſuper, hoc vel maximè præcaveat, ne Capitula clamorosè & contentioſè, ſed pacificè, & cum debita reverentia tempore præſcriptô expediantur, turbatoribus verò ſtatim in ipſo ſermonis initio ſilentium ſeverè imponatur, nequè illorum ſententia attendatur, ingraveſcente verò eorundem pervicacî loquacitate, tales humi proſtrati pænitentiam agant.

Quantùm verò ad reliquos Fratres in Conventu reſidentes attinet, multa profectò ſunt in quibus ab ipſis Regula & Conſtitutiones negliguntur, quò fit, ut levibûs hic in Regulari obſervantia iactîs fundamentîs, ad loca particularia miſſi è Conventu, facile poſtmodum in oblivionem Vocationis ſuæ deveniant, neq; debitæ Superiorum ſuorum, penes quos pro tempore manent, correctioni ſubiacere velint. Et quidem nonnulli, inter cætera, puritati conſcientiæ negligenter ſtudent, eoq; ipſo pro frequentiore Miſſarum celebratione ſe ineptos reddunt, adeo, ut aliqui illorum, vix ſemel in ſeptimana ſacrificium Miſſæ abſolvant. Examini Conſcientiæ, tum & matutinæ meditationi, non omnes, neq; unô atque eôdem tempore (juxta præſcriptum Conſtitutionum) ſed prout propria cujuſque voluntas eſt, vacant; ſilentium temporibûs in Conſtitutionibus aſſignatîs, tam in Dormitorio, quàm in Cellis, eô etiam tempore, quo cæteri Fratres examen Conſcientiæ faciunt, & ſe cubitum conferunt, non exactè ſervant. Matutinum, aliaſque Horas aliqui frequenter, & ex mera negligentia, ſub prætextu infirmitatis, & quidem impune negligunt. In Chorum inferiorem,

Conſtit. De officio omnium Fratrum in Conventu manentium.

dum

dum diebus festivis Divina peraguntur, tardiùs, nec omnes descendunt, neque juxta ordinem stala occupant, Extraneas personas sine scitu & facultate Superioris in cellas introducere, illisque potum propinare, & cum iisdem confabulari præsumunt; Obventiones pro administrationes Sacramentorum, non Carbonistæ reddunt, sed sibimet usurpant, Culpas proprias (juxta præscriptum Constitutionum, & satis laudabilem aliarum Religionum morem) in Capitulo dicere erubescunt; Casum reservatum habentes, non semper Superiorem pro impetranda, vel alicui deleganda absolutione adeunt, nec Ordinarij Confessarij operâ hac in parte utuntur; Ad rixas & altercationes, imò aliquando etiam ad mutuas percussioues nonnulli prorumpunt, & quod omnium pessimum est, contra Superiorem etiam ipsum aliquando verbis parum decentibus insurgere, & contra illum, veluti quasdam conspirationes facere aliqui dissolutores non verentur, cum tamen Custos si in aliquo (homo cùm sit) delinquat, suum quoq; habeat Superiorem, à quo corrigi ac puniri possit: Otio quoq; aliqui ex junioribus Presbyteris plùs æquo indulgent, neque libris intenti in Casuum ac Sacræ Scripturæ studio informantur, ac proinde eo ipso, tam ad excipiendas Confessiones, quàm ad Sacras Conciones faciendas, parum apti existunt; Presbyteri item iam ab aliquo tempore laudabilem mensæ inserviendi consvetudinem intermiserunt. A quibusdam etiam pueri, sine expressa Superioris licentia, foventur, & quod potiùs ex residuis mensæ pauperibus, vel familiæ Conventus, obvenire deberet, ipsis impenditur. Hæc alia his similia cum apertè

Regulæ, Constitutionibus, & statui ac Professioni Religiosæ repugnent, tanquam noxia & illicita præsenti Statuto damnamus, & ne inposterum ejusmodi abusus in Claustro reperiantur, seriò prohibemus, sub pænis in Constitutionibus præfixis, aliisque gravioribus pro ratione delicti arbitrio nostro irrogandis.

Jejunia. Ut autem cùm in aliis Regularibus observantiis, tum & in certis quibusdam & peculiaribus Ordinis, Jejuniis iam à plerisque Fratribus nostris in praxi haberi solitis uniformitas servetur, certos Jejuniorum Ordinis dies assignamus, nimirùm Sancti Jacobi Apostoli in Majo, & Sancti Augustini Patriarchárum nostrorum vigilias, præterea tres dies Sabbativos, primam videlicet ante Dominicam secundam post Pascha, secundam ante Dominicam Pentecosten, tertiam ante Dominicam ultimam post Pentecosten. Denique pridie Divisionis Apostolorum. Pro quibus solennitatibus Indulgentias, quæ non tantùm Miechoviensi Ecclesiæ, verùm etiam aliis nonnullis insignioribus ad hanc nostram pertinentibus inservire possint, unâ cum Confraternitate Sanctissimi Sepulchri quàm primùm Deo dante procurare intendimus.

PUNCTUM SECUNDUM.

De defectibus in exequendis Constitutionibus ex-parte Beneficiatorum.

NOn magna profectò opus esset defectuum, in Ordine nostro discussione, si unusquisque (prout per Dei gratiam aliqui faciunt) quid Deo, quid

Religioni, & quid sibi sive potius saluti & Conscientiæ suæ debeat, paulo diligentius trutinaret, & pro virili vocationi, atque officio suo respondere curaret; Sed quia est ea nostra imperfectio, ut plerumq; ad exteriora totaliter conversi, atque adeo status & conditionis nostræ obliti, interiorem hominem reformare negligenter studeamus, vehementer sanè dolemus, plerosq; (utinam verò nullus inposterum sit ejusmodi) Beneficiatos Ordinis nostri reperiri, qui eo ipso quod extra claustrum generale degentes Beneficia Ordinis administrent, se à Regulari observantia liberos esse existimant, Professionisq; Religiosæ parùm memores, more sæcularium vitam agunt: Unde etiam aliqui Religionis suæ habitum aspernantes, sæculari illoque exquisito satis utuntur, & sine Cruce geminata (quod præcipuum Religionis nostræ insigne est) inpublicum prodire, vel illam de industria occultare non verentur. Nonnulli verò totos se planè dant sæculari Oeconomiæ, Ecclesiasticis verò occupationibus, & Cultui Divino propagando, quæ illorum præcipua deberet esse cura vix aliquam temporis partem impendunt: Reditus suos, vel potiùs Ecclesiæ illius cui præsunt, magna ex parte (idque juxta beneplacitum suum) in profanos usus convertunt, neque justis de stricta restitutionis obligatione scrupulis anguntur; cum tamen (juxta Canonum & Constitutionum Ordinis præscriptum) meri sint redituum Ecclesiæ suæ dispensatores, atque ad reddendam Superioribus suis quoties ipsi voluerint rationem obligati: Vicarios item curæ ac Conscientiæ suæ commissos ad Regularis disciplinæ observantiam, cùm verbo, tùm potius exemplo non in-

Constit. De officio Præpositorum & Parochorum.

 citant

citant, neque ipſorum exceſſus [juxta præſcriptum Conſtitutionum] puniunt, hoc ſolo contenti, ſi illi ſuas in Eccleſiaſticis muniis vices obeant, neque ſe in adminiſtratione rei Oeconomicæ impediant, cum tamen ſalutis animarum præ cunctis aliis rebus potior ſemper ratio habenda ſit.

Non deſunt etiam aliqui ſolitarij præſertim Beneficiati noſtri) qui partim ignaviâ impediti, partim etiam copia Confeſſarij deſtituti raró admodum confitentur, & nihilominus tamen laxiore quadam conſcientia, ad tremendum Miſſæ ſacrificium accedere
Malach: 2. non verentur. obliti illius Malachiæ 2. Sacerdotes dum accedunt ad altare ſanctificentur, ne percutiat eos Dominus.

Præterea Clauſura reſpectu mulierum apud Beneficiatos (contra omnem Canonum & Conſtitutionum ordinationem) nullibi ferme in locis particularibus habetur, quæ licet exactè, in quibuſdam præſertim locis, ſervari non poſſit, attamen moderatio ea de re in Conſtitutionibus proximè præteriti Capituli facta debitæ executioni commodè ubique locorum mandari & poteſt, & debet. Gneſnæ verò Prævorſcii, Stradomiæ ad Sanctam Hedvigim, ac etiam Lezaiſcij (poſteaquam ea fabrica, quàm Reverendiſſimus Dominus modernus Præpoſitus ſumma cum laude & utilitate non tantùm Eccleſiæ, ſed etiam Parochianorum ſuorum molitur) perfecta fuerit, uno aliquo juxta portam (pro variis perſonis advenientibus] hoſpitalio deſtinato, Clauſura commodè obſervari poteſt.

Denique puncta ex Viſitationibus cum per nos ipſos, tum per Commiſſarios noſtros Beneficiatis

relicta

relicta pro executione, hucusque (saltim quibusdam in locis) incharta & non in effectu conspiciuntur. Quare ne quò major est nostra hâc in parte conniventia, eò gravior Fratrum nostrorum in exequendis Superiorum suorum mandatis negligentia reperiatur, Volumus iam ex nunc in ejusmodi desides ac negligentes Constitutionum executores seriò animadvertere, eosdemque juxta præscriptum Constitutionum cùm aliis pœnis, tum & ipsa Beneficiorum privatione punire, ne amplius, & suam onerent conscientiam, & aliis dignioribus majora pro Dei laude & Ecclesiæ, tum & Ordinis honore, & incremento præstandi aditum & occasionem præcludant.

PUNCTUM TERTIUM.

De defectibus in exequendis Constitutionibus ex parte Vicariorum, penes Beneficiatos degentium.

INter alios Vicariorum in exequendis Ordinis Constitutionibus defectus, hi præcipuè, qui inferius recensentur, facilè à quopiam notari possunt,

Atque inprimis non mediocri reprehensione digni sunt, quod illi plerumque alios se in Conventu generali, alios verò in locis particularibus, in vita regulari & conversatione exhibent, cùm tamen non locus, sed potius Religiosa vita & mores Claustrum ubique constituant. Quocirca, ne major indies Vicariorum in exequendis Constitutionibus officium suum concernentibus negligentia appareat; Statuimus,

mus, ut quæ de ipsorum officio in Constitutionibus præscripta habentur, ab iisdem inposterum (sub pænis in transgressores sancitis) integrè & totaliter adimpleantur, negligentes verò ac protervi, à Superioribus suis (quibus ipsi non minorem quam in Conventu Custodi, in licitis & honestis, obedientiam & reverentiam præstare tenentur] puniantur. In quo quidem nonnulli Superiores fortasse eo potissimum respectu hactenus negligentiores fuerunt, ne dum inferiores punire volunt ab ipsis in vita vocationi religiosæ minus conformi taxentur. Quid enim mirum, si Vicarij in iis, penes quos pro tempore manent, zelum regularis disciplinæ non advertentes, ipsi quoque licentiosius vivant, atque eosdem vix pro Superioribus agnoscant. Quod cum etiam communiter ex diuturniore Vicariorum in locis particularibus mansione evenire solet, Constitutionem antiquam de triennali in Vicariatu commoratione, debitæ executioni inposterum demandari omnino volumus; ita, ut nec ipsi Custodi; neque Beneficiato [præter expressam Reverendissimi Domini Generalis facultatem] aliquem Fratrem ultra præfixum tempus in Vicariatu detinere, vel ex uno loco in alium non expleto triennii tempore, sine legitima causa, transmittere deinceps licitum esse possit. Quæ quidem ordinatio nostra, ut eò efficacius ad effectum deduci possit, præcipimus Patri Custodi, ut omnes ejusmodi Fratres, ultra triennium extra Conventum in Vicariatu ad præsens residentes, quam primùm revocari, alios verò idoneos in locum ipsorum substitui curet.

Accedit & illud, in quo pleriq; Vicariorum ce-
spitant

ſpitant, & graviter miſeri ſuas lædunt conſcientias, quòd videlicet mulieres, cujuſcunque ſtatus & conditionis ſint, graviſſimas Canonum & Conſtitutionum pænas minimè veriti, in ſuas habitationes admittere præſumant, & eo ipſo Cenſuris fortaſis innodati non procurata priùs debita abſolutione celebrare, & Sacramenta adminiſtrare audeant, cùm tamen nullam fermè juſtam ac legitimam adeò enormiter delinquendi cauſam prætendere poſſint: Quare ut tandem aliquando ejuſmodi legum & Canonum tranſgreſſores (quicunque illi reperiuntur) reſipiſcant, neque ſe ignorantia, quam hactenus fortè ex levi aliqua occaſione prætendebant, excuſare poſſint. Beneficiatis noſtris ubicunque locorum exiſtentibus ſeriò mandamus, ut ſi in quos, certè in hos laxiores Conſcientiæ Fratres ſeriò animadvertant, & ſi contumaces fuerint, eoſdem ad nos pro ſeveriori animadverſione abſque mora deferant.

Quantùm verò ad diſpoſitionem rerum per Vicarios, proprio (ut ipſi aiunt) labore atque induſtria comparatarum attinet, quoniam de iis (contra Conſtitutiones, & contra ipſam Paupertatis ſanctæ naturam) juxta arbitrium ac beneplacitum ſuum diſponunt, multique notabiles pecuniæ ſummas (ut ſupra attigimus] corradunt, quas (ut intelleximus] in Conventum redituri, vel ſaltim ad tempus certum aſſervandas tradunt, atque ita quaſi omni peculio deſtituti, communitatem in exigendis neceſſariis aggravare non verentur; ideò, ne inpoſterum id fiat, ordinatio noſtra ea de re ſupra in Capite ſecundo Puncto quarto facta ut omnino debitæ mandetur executioni ſedulo attendemus, & illi contravenientes ſe-

verè

vere puniemus, Reliqua verò, tam quoad debitam Sacramentorum adminiſtrationem, quàm quoad Regularis diſciplinæ obſervantiam ſpectantia, quia ſufficienter in præteritis Conſtitutionibus expreſſa habentur, ea hic toties repetere minus neceſſarium eſſe exiſtimamus. Hoc tamen in ſumma ad veram Ordinis noſtri reſtaurationem ſeriô requirimus, ut quæ in iiſdem Conſtitutionibus ſufficienter ſancita habentur, Fratres noſtri, citra omnem moram debitæ executioni mandent, omnesq; hos defectus & abuſus in hocce Directorio ſive Monitorio noſtro veluti in ſpeculo propoſitos quantocyùs ſupplere curent, diligentes hac in parte à nobis paternam benevolentiam, negligentes verò ſeveram animadverſionem relaturi, ac, quod majus eſt, Deo præpotenti graviſſimam rationem ſuo tempore reddituri.

CAPUT SEXTUM.

De Oeconomiæ ordinatione.

ETſi potior ſemper ratio ſpiritualium quàm temporalium habenda ſit, horum tamen duorum in unaquaque Republica tanta eſt connexio, ac ſubalternatio, ut unum ſine altero diutiùs ſtare non poſſit, illudque ex hujus recta dependeat adminiſtratione. Quod quidem cum alibi tum potiſſimùm in Monaſteriis & Religioſorum Conventibus apertè videre eſt, ubi ſi res Oeconomica rectè ac debitè per officia-

officiales adminiſtratur, Regularis quoq; diſciplina, Cultus divinus, & cætera ſpiritualia ut plurimùm florent, ſin ſecus, omnia confundi ac perturbari eſt neceſſe, atq; ita inter cætera ejus rei incommoda, Paupertas Religioſa [quæ quemadmodum ex ſe nihil proprii admittit, ita etiam debitam ac ſufficientem neceſſariorum proviſionem requirit) periclitatur, dum ea quæ ad communem victum & veſtitum pertinent, vel indigentibus denegantur, vel in communi promptuario non habentur: Hoc autem cùm non aliunde, niſi ex œconomis (prout ſupra capite ſecundo, puncto 3. attigimus) negligenter, officio ſuo fungentibus, proficiſcatur, dum vel minùs apti, & in re œconomica parùm verſati eliguntur, vel certè aptiores, & peritiores ex levi aliqua occaſione facilè mutantur, aut ſaltem à nonnullis Fratribus privatis, in officium alterius importune ſe ingerentibus, omniaque temerè improbantibus impediuntur. Idcirco ne ejuſmodi diſordinatio ulteriùs in hac noſtra Congregatione ſerpat, ſtatuimus; ut juxta antiquam conſvetudinem & Conſtitutiones Ordinis adminiſtratio rei Oeconomicæ non ad plures, ſed ad ſolos, Cuſtodem, Veſtiarios Diſpenſatorem pertineat: ita tamen, ut Diſpenſator aptus & in re Oeconomica bene verſatus, ac capitulariter electus in officio adminùs per triennium [niſi legitima aliqua cauſa aliter ſvaſerit) detineatur, & hôc totô tempore ſuam fidelitatem, diligentiam, ac induſtriam, in adminiſtratione rei Oeconomicæ Communitati probare teneatur. Quod ut eò commodiùs facere poſſit [præſertim verò quoad inſpectionem prædiorum, ac ſylvarum Cuſtodiam) loco Factoris uti poterit aliquo ſervitore

Conſtit. De Officio Cuſtodis.

ſæculari, fideli tamen & honeſto, qui exiguo aliquo ſtipendio contentus, non extra ſed in Conventu maneat, & ab ipſius nutu & directione dependeat. Nihil etiam Diſpenſator inſciô vel in conſultô Patre Cuſtode faciet, ſed frequentes cùm illo, vel (ſi neceſſe fuerit) etiam cum Veſtiariis, de rebus ad Oeconomiam pertinentibus conferentias habebit, nihilq; propriô motu, ex quo poſtea turbatio vel incommodum aliquod Conventui oriri poſſit, attentare præſumet, ac præterea ſedulò cavebit, ne ſubditi novîs & inſvetîs oneribûs graventur,

Conſtit: De Officio Conſervatorum domûs. Veſtiarij verô ita ſe gerant, prout in præteritis Conſtitutionibus de ipſorum officio præſcriptum habetur, hôc ſolô additô, quod cùm ad ipſos tota planè neceſſariorum proviſio pertineat, ideoquè conſervatores domûs vocentur, proinde eam in percipiendis & diſponendis reditibus ad menſam Fratrum pertinentibus, rationem inire debent, ut tempeſtivè, (præſertim vero Decimîs exactîs & meſſe expeditâ) computatîs computandîs, ita expenſas cum perceptis temperent, ac moderentur, quatenus pro certis neceſſariis, uti bobus, piſcibus, aromatibus, &c. certam quoque pecuniæ quantitatem tempeſtivè provideant. Ac præterea pro aliis occurrentibus neceſſitatibus, ſemper in promptu pecuniam habeant. Quò fiet, ut neque Decimæ anticipatâ ſolutione leviore quàm par eſt prætiô vendantur, neque æs alienum temere contrahatur.

Porro cùm in proximè præterito Capitulo Ducenti floreni pro Veſtiaria, & floreni Centum pro Sacriſtia à nobis ex proventibus menſæ noſtræ aſſignati habeantur, & verendum ſit, ne Succeſſoribus noſtris

nostris, grave videatur, hanc summam ex privato peculio singulis annis exsoluere,consultiùs nos facturos existimamus, si loco ejusdem pecuniariæ summæ, Villam Iadowniki cum prædio, à sexaginta propè annis à mensa Præpositi avulsam, & post duos annos locatione seu arendâ Domino Alexandro Lugowski expirante, ad dispositionem nostram redituram, bonis aliis ad mensam Fratrum pertinentibus adiungamus, eamquè in usum & administrationem iisdem tradamus, prout quidem hâc præsenti Constitutione nostrâ perpetuò tradimus, & eandem inter alias Monasterij villas iam exnunc annumeramus. Sed cùm ejusdem villæ proventus prædictam summam excedant, ex eisdem, præter florenos Trecentos superiùs specificatos, florenos Centum pro Medico in usum Fratrum, alios autem florenos Centum pro Advocato seu procuratore causarum, reliqvum verô pro augmento Bibliotecæ, & pro minore Conventûs fabrica [siquidem Præpositus Generalis admajorem est obligatus) assignamus, prout ea de re in Privilegio nostro exactiùs præscribitur.

CAPUT SEPTIMUM.

De Parochiæ Wogczoviensis ad Conventum Miechoviensem Incorporatione, & de ejusdem dotatione.

QUantam Ordo hic noster jacturam, in Ecclesiis in Provincia Russiæ consistentibus, per crebras

Tartarorum incursiones, magno cum dolore nostro, iam acceperit, & verendum sit ne majores indies (quod DEUS avertat) accipiat, iam antea in præfatione nostra attigimus: Ad quam resarciendam, cum nulla commodior ratio ad præsens suppetat, quàm si in ijs partibus quæ ab hoc periculo per DEI gratiam sunt immunes, Ecclesiæ Ordini nostro annexæ propagentur, libenter in eam cogitationem descendimus, ut Ecclesiam Wągczovieńsem, in Diæcesi Gnesnensi consistentem [quam unâ cum Illustrissimo Domino STANISLAO ŁUBIENSKI Episcopo Luceoriensi Regnique Vicecancellario Fratre nostro; charissimo nuper ex latere coctto, à fundamentis extructam in honorem DEI Omnipotentis, & in remedium animarum Majorum nostrorum ibidem sepultorum novîs reditibûs augere, & in ea quotidianam Officii Beatissimæ Virginis MARIÆ Patronæ nostræ decantationem fundare intendimus) huic nostro Ordini incorporandam procuraremus, prout iam per DEI gratiam, consensum Regiæ Majestatis tanquam unici ejusdem Patroni ad eam rem obtinuimus, ibidemque Mansionariam erigendam, & Præpositum cum aliquot Vicarijs collocandum sine ulla procrastinatione destinamus. Interim autem dum & fabricam ad finem deducimus, & hanc dotationem procuramus, ne illa Ecclesia suo pastore careat, & debitîs defraudetur obsequiîs, iam ex nunc ibidem pro Commendario Reverendum Patrem Maximilianum Jarochowski destinamus, eidemque in subsidium curæ animarum Presbyterum sæcularem [in defectu ad præsens Fratrum Regularium) adjungimus, ac pro sustentatione utriusque, præter antiquos proventus,

ejusdem

1625

ejusdem Parochiæ, ex censu florenorum septingentorum nuper per Nos empto, unam partem, aliam verò pro suppellectili domestica procuranda, & pro ædificiis Parochialibus perficiendis ad tempus assignamus, uberiorem cum Illustrissimo Domino Vice-Cancellario Ordinationem de ea Ecclesia, quamprimùm per Nos fabrica ejus & dotatio ad suum effectum plenè fuerit deducta, DEO dante, facturi.

Etsi non dubitamus, labores hos nostros quos in condendis utriusque Capituli Generalis Constitutionibus, idque pro majore Ordinis hujus incremento, suscepimus; non in cassum [Deo auxiliante) cessuros, quin potiùs Fratres nostros, iisdem, tanquam ipsimet Regulæ, Canonibus & antiquioribus Ordinis statutis conformibus, spontè ac liberaliter obtemperaturos; tamen ne quid ex parte nostra ad debitam earundem Constitutionum executionem, quam nos vel maximè intendimus, deesse videretur majoris efficaciæ atque authoritatis causâ, Confirmationem omnium & singulorum utriusque Capituli Statutorum, à Sede Apostolica obtinuimus, eamque ad calcem hujus operis inseri curavimus. Cujus hic qui sequitur est tenor.

URBANUS PP. VIII.

AD futuram rei memoriam. Militantis Ecclesiæ regimini meritîs licet imparibûs divinâ dispositione præpositi, ea quæ pro Regularium personarum felici directione & gubernio providè sancita fuisse dicuntur, libenter, cum à nobis petitur, ut firmiùs subsistant & exactiùs observentur; Apostolicæ Confirmationis robore communimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire; exponi siquidem Nobis nuper fecit Venerabilis Frater MATHIAS Episcopus Chelmensis Ordinis Canonicorum Regularium Custodum Sepulchri Dominici sub Regula sancti AUGUSTINI, Præpositus Generalis, quòd in uno Anno M. DC. XX. & altero Anno M. DC. XXV. celebratîs dicti Ordinis Capitulîs Generalibûs, nonnullæ Constitutiones pro dictorum Canonicorum felici regimine & gubernio editæ & sancitæ fuerunt, illasq; pro majori earum subsistentia, & observantia Apostolicæ nostræ Confirmationis robore communiri plurimum desiderat. Nobisq; propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictum MATHI-

THI-

THIAM Episcopum & Praepositum Generalem ac ipsius Ordinis Canonicos specialibûs favoribûs & gratiîs prosequi volentes, & illorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine, quâvis occasione vel causâ latis, si quibûs quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Constitutiones hujusmodi, dummodo licitae & honestae existant, neq; sacris Canonibus aut Concilii Tridentini Decretis, dictiq; Ordinis Regularibus institutis adversentur, Apostolicâ authoritate tenore praesentium approbamus & confirmamus, illisq; inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes & singulos tam juris quam facti defectus, si qui in iisdem intervenerint, supplemus. Decernentes, illas ac praesentes literas semper validas, firmas & efficaces existere & fore, nec non ab omnibus dicti Ordinis Canonicis, aliisq; ad quos spectat inviolabiliter observari, sicq; per quoscunq; judices ordinarios & delegatos & causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari &

definiri

definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoque quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibûs Constitutionibûs & ordinationibûs Apostolicîs, & quatenus opus sit, dicti Ordinis etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratîs statutîs, & consvetudinibûs, cæterîsq; contrariîs quibûscunq; Datum Romæ, apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris Die 14. Januarij M. DC. XXVI. Pontificatûs Nostri Annô Tertiô.

V. Theatinus.

REGU-

REGULA
CANONICORUM REGULARIUM CUSTODUM SANCTI SEPULCHRI DOMINI Hierosolymitani, à D. Augustino conscripta.

ANte omnia, Fratres Charissimi, diligatur DEUS, deindè proximus, quia ista præcepta sunt principaliter nobis data. Hæc igitur sunt, quæ ut observetis, præcipimus in Monasterio constituti. Primum, propter quod in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo Domini, & sit vobis anima una, & cor unum in DEO: & non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia. Et distribuatur unicuiq; à Præposito vestro victus & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potiùs unicuiquè sicut cuiquè opus fuerit. Sic enim legitis in actibus Apostolorum: Quia erant illis omnia communia, & distribuebatur unicuiquè sicut cuiquè opus erat. Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in Monasterio, quæ nec foris habere potuerunt. Sed tamen eorum infirmitati, quod opus est; tribuatur, etiamsi paupertas illorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat invenire. Tantum non ideo se putent esse felices,

quia invenerunt victum & tegumentum, quale foris invenire non poterant: nec erigant cervicem, quia sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant; sed sursum cor habeant, & terrena ac vana non quærant, ne incipiant esse Monasteria divitibus utilia, non pauperibus, si divites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur. Rursus etiam illi, qui aliquid esse videbantur in sæculo, non habeant fastidio Fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt. Magìs autem studeant non de Parentûm divitûm dignitate, sed de pauperûm Fratrûm societate gloriari. Nec extollantur, si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerunt: nec de suis divitiis magis superbiant, quia eas Monasterio partiuntur, quàm si eis in sæculo fruerentur. Alia quippe quæcunquè iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant: superbia verò etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant. Et quid prodest dispergere dando pauperibus, & pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur divitias contemnendo, quàm fuerat possidendo? Omnes ergo unanimiter & concorditer vivite, & honorate in vobis DEUM invicem, cujus templa facti estis.

Orationibus instate, horîs & temporibûs constitutîs. In Oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, unde & nomen accepit: ut si forte aliqui etiam præter horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putaverint. Psalmîs & Hymnîs cùm oratis DEUM, hoc versetur in corde, quod profertur in voce. Et nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum. Quod autem non ita scriptum est, ut

ut cantetur, non cantetur. Carnem vestrâm domate jeiuniîs, & abstinentiâ escæ, & potûs quantum valetudo permittit. Quando autem aliquis non potest jeiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum sumat, nisi cùm ægrotat. Cùm acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundùm consvetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audite, nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures, esuriant verbum DEI. Qui infirmi sunt ex pristina consvetudine, si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse, nec injustum videri eis, quos fecit aliquà consvetudo fortiores. Nec illos feliciores putent, quia sumunt, quod non sumunt ipsi; sed sibi potiùs gratulentur, quia valent, quod non valent illi. Et si eis qui venerunt ex moribus delicatioribus ad Monasterium, aliquid alimentorum, vestimentorum, operimentorum datur, quod aliis fortioribus, & ideò felicioribus, non datur, quantum de sua sæculari vita illi ad istam descenderint, quamvis usque ad aliorum, qui sunt corpore firmiores frugalitatem pervenire nequiverint. Nec debent velle omnes, quod paucos vident ampliùs, non quia honorantur, sed quia tolerantur, accipere: ne contingat detestanda perversitas, ut in Monasterio, ubi quantum possunt, fiunt divites, laboriosi, fiant pauperes, delicati. Sanè quemadmodum ægrotantes necesse habent minus accipere, ne graventur; ita & post ægritudinem sic tractandi sunt, ut citiùs recreentur, etiamsi de humillima sæculi paupertate venerunt: tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod divitibus anterior consvetudo Sed cùm vires pristinas reparaverint, redeant ad

feliciorem consvetudinem suam; quæ famulos DEI tantò ampliùs decet, quantò minus indigent: nec cibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos necessitas aliquando levârat infirmos. Illos æstiment ditiores, qui in sustinenda parcitate fuerint fortiores: meliùs est enim minus egere, quàm plus habere. Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibûs placere, sed moribûs. Quando præceditis, simul ambulate: cum veneritis, quò itîs, simul state.

In incessu, statu, habitu, in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Oculi vestri etsi iaciuntur in aliquam fæminarum, figantur in nullam. Neq; enim quando proceditis, fæminas videre prohibemini; sed appetere, aut ab ipsis appeti velle, criminosum est. Nec solo tactu & affectu, sed aspectu quoquè appetitur & appetit concupiscentia fæminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus, jmpudici cordis est nuncius. Et cùm se invicem sibimet, etiam tacente lingvâ, conspectu mutuo, corda nunciant impudica, & secundùm concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactîs ab immunda violatione corporibûs, fugit castitas ipsa de moribus. Nec putare debet, qui in fæminam figit oculum, & illius in se ipse diligit fixum, ab aliis se non videri, cum hoc fecerit: videtur omnino & à quibus se videri non arbitratur. Sed etsi lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo desuper inspectore, quem latere nihil potest? An ideò putandus est non videre, quia tantò videt patientiùs, quantò sapientiùs? Illi ergo vir

Sanctus

Sanctus timeat displicere, ne velit fœminæ malè placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit fœminam malè videre. Illis namque & in hac causa commendatus est timor, ubi scriptum est: Abominatio est Domino defigens oculum. Quando ergo simul estis in Ecclesia, & ubicunque, ubi fœminæ sunt, invicem vestram pudicitiam custodite. DEUS enim qui habitat in vobis, etiam istô modô custodiet vos ex vobis. Et si hanc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliquo vestrûm adverteritis, statim admonete, ne cœpta progrediatur, sed de proximò corrigatur. Si autem & post admonitionem iterum, vel alio quocunque die, id ipsum eum facere videritis, iam velut vulneratum, sanandum prodat, quicunquè hoc potuerit invenire, priùs tamen & alteri vel tertio demonstratum, ut duorum vel trium possit ore convinci, & competenti severitate coerceri. Nec vos judicetis esse malevolos, quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes non estis, si Fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim Frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, cum timeret secari: nonne crudeliter abs te sileretur, & misericorditer indicaretur? Quantò ergo potiùs debes manifestare, ne deterius putrescat in corde? Sed antequam aliis demonstretur, per quos convincendus est si negaverit, prius Præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi, ne forte possit secretiùs correptus non innotescere cæteris. Si autem negaverit, tunc neganti adhibendi testes sunt alij, ut iam coram omnibus possit non ab uno teste argui; sed à duobus vel tribus convinci. Convictus verò

secundùm Præpositi vel etiam Presbyteri, ad cujus dispensationem pertinet, arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam: quàm si ferre recusaverit, etiamsi ipse non abscesserit, de vestra Societate proiiciatur.

Non enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestiferâ plurimos perdat. Et hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inveniendis, prohibendis, indicandis, convicendis, vindicandisque peccatis, diligenter & fideliter observetur, cum dilectione hominum, & odio vitiorum, Quicunquè autem in tantum progressus fuerit malum, ut occultè ab aliquo literas vel quodlibet munus accipiat, si hoc ultro confitetur, parcatur illi, & oretur pro illo. Si autem deprehenditur atque convincitur, secundùm arbitrium Presbyteri vel Præpositi graviùs emendetur. Vestes vestras in unum habeatis, sub uno custode vel duobus, vel quot sufficere potuerint ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur. Et sicut pascimini ex uno cellario, sic induamini ex uno vestiario. Et si fieri potest, non ad vos pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia non proferatur, utrum hoc recipiat unusquisque quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat, dum tamen unicuiquè, prout cuique opus est, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones & murmura oriuntur, cum queritur aliquis deterius se accepisse, quàm priùs habuerat, & indignum se esse, qui non ita vestiatur, sicut alius Frater ejus vestitur, hinc vos probate, quantùm vobis desit in illo interiore sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen si sic vestra tole-

ratur

ratur infirmitas, ut hoc recipiatis quod deposueratis, in uno tamen loco sub communibus custodibus habete, quod ponitis. Ita sanè ut nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in unum fiant, majorî studiô & frequentiori alacritate, quàm si vobis singulis faceretis propria. Caritas enim de qua scriptum est quod non quærat quæ sua sunt, sic intelligitur; quia communia propriis; non propria communibus anteponit. Et ideo quantò plùs rem communem, quàm propria vestra curaveritis, tantò vos ampliùs profecisse noveritis: ut in omnibus, quibus utitur transitura necessitas, superemineat, quæ permanet, caritas. Consequens ergo est, ut etiam, qui suis filiis,aut aliquâ necessitudine ad se pertinentibus in Monasterio constitutis aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, ut in rem communem redactum, cui necessarium fuerit, præbeatur. Quôd si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti judiciô condemnetur. Indumenta vestra secundùm arbitrium Præpositi laventur, sive à vobis, sive à fullonibus, ne interiores animæ sordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus. Lavacrum etiam corpori cum infirmitatis necessitas cogit, minimè denegetur. Fiat sine murmure de consilio medici, ita ut etiamsi nolit, jubente Præposito faciat, quod faciendum est pro salute. Si autem velit, & fortè non expedit, suæ cupiditati non obediatur. Aliquando enim etiamsi noceat, prodesse tamen creditur, quod delectat. Denique si latens est dolor in corpore, famulo DEI dicenti, quid sibi doleat, sine dubitatione

creda-

credatur. Sed tamen utrum sanando illi dolori, quod delectat, expediat, si non est certum, medicus consulatur.

Nec eant ad balnea, sive quocunquè ire necesse fuerit, minus quàm duo vel tres. Et ille qui habet aliquo eundi necessitatem, cum quibus Præpositus jusserit, ire debebit. Ægrotantium cura sive post ægritudinem reficiendorum, sive aliquâ imbecillitate etiam, sive febribûs laborantium, uni alicui debet injungi, ut ipse de cellario petat, quod cuiq; opus esse perspexerit. Sive autem qui cellario, sisive qui vestibus, sive qui codicibus præponuntur, sine murmure serviant Fratribus suis. Codices certâ horâ singulîs diebûs petantur: extra horam qui petierit, non accipiat. Vestimenta verò & calceamenta quando indigentibus fuerint necessaria, dare non differant, sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur. Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis: Qui odit Fratrem suum, homicida est. Quicunquè convició vel maledictô, vel etiam criminis objectu aliquem læsit, meminerit satisfactione quantocyùs curare, quod fecit; & ille qui læsus est, sine disceptatione dimittere. Si autem invicem se læserint, invicem sibi debita relaxare debebunt, propter orationes vestras: quas utique quantò crebriores habetis, tantò sanctiores habere debetis. Melior est autem qui quamvis irâ sæpè tentatur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit injuriam: quàm qui tardiùs irascitur, & ad veniam petendam tardiùs inclinatur. Qui non vult dimit-

tere

tere Fratri, non speret accipere orationis effectum. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in Monasterio, etiamsi inde non proiiciatur. Proinde vobis à verbis durioribus parcite, quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera. Quando autem necessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos verba dura compellit, si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, ut vobis à subditis veniam postuletis, ne apud eos quos oportet esse subjectos, dum nimiùm servatur humilitas, regendi frangatur authoritas. Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit etiam eos, quos plùs justo fortè corripitis, quantâ benevolentiâ diligatis. Non autem carnalis sed spiritualis inter vos debet esse dilectio. Præposito tanquam Patri obediatur, multò magìs Presbytero, qui omnium vestrûm curã gerit. Ut ergo cuncta ista serventur, & siquid servatum minùs fuerit, non negligenter prætereatur, sed ut emendandum corrigendumque curetur, ad Præpositum præcipuè pertinebit, ut ad Presbyterum, cujus est apud vos major authotitas, referat quod modum vel vires ejus excedit, Ipse verò qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed caritate serviente felicem. Honore coram vobis prælatus sit vobis, timore coram DEO substratus sit pedibus vestris. Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos. Patiens sit ad omnes, disciplinam libens habeat, metuendus imponat.

Et quamvis utrumq; sit necessarium, tamen plus à vobis amari appetat, quàm timeri: semper cogitans DEO se pro vobis redditurum esse rationem. Unde vos magìs obediendo, non solùm vestri, sed etiam ipsius misereminì, quia inter vos quantò locô Superiore, tantò in periculo majore versatur. Donet Dominus, ut observetis hæc omnia, tanquam spiritualis pulchritudinis amatores, & bono Christi odore de bona conversatione fragrantes, non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti. Ut autem vos in hoc libello, tanquam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur. Et ubi vos inveneritis, ea quæ scripta sunt facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori. Ubi autem sibi quicunquè vestrum, videt aliquid deesse, doleat de præterito, caveat de futuro, orans, ut & debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur.

A
M E
N.

Jejunia in Caplo 2do Grali assignata — — fol. 16

600.—